

malum, imo magnum beneficium est. Quemadmodum enim potio medica vel phlebotomia ad sanitatem recuperandam a medico suasa et adhibita, malum quidem aliquod est, respectu tamen desolationis, qua medicus ægrum omnino destituit, vel omnia illi noxia concedit, modicum malum, imo potius beneficium est; ita et tribulatio, quæ ad salutem procurandam hominibus a Deo immittitur, salutem adfert, cum contra prosperitas malorum ad mortem æternam ducat. Modicum est damnum uti et modicum vulnus, quod facit chirurgus cum ægro venam incidit; sed maximum interim bonum, sanitas videlicet diuturna, quod affert. Et quid magnum est, si, v. g. omnia magno constant, si vinum vix haberi, si cupiditæ, si vestes pretiosæ in maximo sint pretio? Imo si corpus aliqua inedia maceretur? Modicum damnum, imo magnum beneficium. Hoc enim medio elicit nobis Deus noxium sanguinem superbiam, commensationum, ebrietatum et quæ ex ea oriuntur, rixarum, libidinum. Ante hoc tempus quanta in vestibis insolentia? Quis luxus? Qui tumultus et rixæ in tabernis? Quot choreæ? Qui lusus? Quam communis, frequens et passim obvia ebrietas? Quæ otia? Nunc vero per instantem penuriam et annonæ difficultatem his malis magna ex parte Deus medetur. O felix phlebotomia! *Vadam post amatores meos, ait quædam fornicaria, Os. II. qui dant panes mihi et aquas meas, laneam meam et linum meum, oleum meum, et potum meum.* Sed respondet Dominus. *Propter hoc ecce ego sepiam viam tuam spinis, et sepiam eam maceria et semitas suas non inveniet.* Pari ratione ne luxu dissolvantur homines, salubriter nunc castigantur penuria vel peste. Unde hæc nostra tribulatio, medicina potius est, et Dei misericordia quam ira. Ut enim Joseph cum iratum se finxit in fratres, eos terrendo et angustiando, non tam austerus quam benignus fuit; siquidem eo medio elieuit sanguinem noxium, dum agnoscere eos fecit peccatum suum, Gen. XLII. ita Dominus Deus magis clemens quam severus est, cum plectit delinquentes, ut redeant in se: *Oculos enim, quos culpa claudit, pena aperit,* inquit S. Gregorius papa.

IV. Si comparemus tribulationes nostras, cum tribulationibus aliorum, partim justorum, partim iniquorum. Quid enim nostra tribulatio respectu persecutionis primorum Christianorum, et eorum qui adhuc in Japonia et aliis orbis partibus premuntur? Quid respectu ss. martyrum Bartholomæi, Simonis, Laurentii, Vincentii, etc. qui omnes dicere possunt Deo: *igne nos examinasti, et non est inventa in nobis iniquitas?* Fatebimur illos ænea vasa fuisse, qui

malleo et igne probata fuere, nos vero fictiles ollas, quæ digiti pulsu tantum explorantur. Quid etiam nostra hæc tribulatio respectu aliarum tribulationum, quas alii homines passi sunt? Nondum caput asini veniit octoginta argenteis, et quarta pars cabi stercoris columbarum quinque argenteis, quemadmodum in obsidione Samaritæ contingit, I. IV. Reg. c. VI. Nondum matres coxere filios, quemadmodum ibidem, et in obsidione Jerosolymitana sub Tito imp. nondum coriis madefactis et igne siccatis, folisque arborum victivimus, quemadmodum Petilini a Pœnis obsessi: neque adhuc mus unus centum denariis emptus est, quemadmodum a Cassilinis obsessi ab Hannibale, ut refert Philippus Viler. Liladamus, apud Philip. Lonicerum, in chron. Turcic. nondum fame urgente alterni se esitabant, quemadmodum in Italia, anno 539. ex Procopio, de bello Gothico, lib. II. Baron. anno 539. Nondum molius frumenti veniit decem siclis, seu septem florenis, uti anno 850. circa Rhenum, ubi mater antequam ab episcopo Moguntino rabano pasceret, in limine præ media corruit, et filiolus e demortuæ matris uberibus tugere tentabat, ex Pith. in annal. Franc. Hæc et horum similia considerantes, nonne adhuc exosculari debemus virgam Dei, qua tam paterne castigamur, eumque instanter orare, ne graviores addat afflictiones?

V. Si consideremus eam respectu tribulationis damnatorum æternæ. Quid enim est præsentis temporis tribulatio respectu illius æternæ? Non tantum, quantum punctum respectu cæli. Omne tempus a Christo usque ad iudicium vocatur a Joanne, 1. Joann. II. *novissima hora.* Et in hodierno evangelio juxta explicationem S. Augustini, primum modicum significat tempus illud, quod a passione intererat usque ad ascensionem Christi: secundum vero modicum, quod ab ascensione usque ad iudicium. Et si totum id tempus est modicum, quam modicum erit tempus præsentis calamitatis, quod cito mutatur in seneritatem? Tametsi vero hoc modicum longum nobis videtur, ut inquit S. Augustinus, tract. CI. in Joan. *cum finitum fuerit, tunc sentiemus quam modicum fuerit.* Apud inferos primum videre cœperunt damnati illi, Sapient. V. vitæ suæ peractæ brevitatem. eum aiunt: *Transierunt omnia illa tamquam umbra, et tamquam nuntius præcurrens, et tamquam navis quæ pertransit fluctuantem aquam, aut tamquam avis quæ transvolat in aere, aut tamquam sagitta emissa, etc.* Sic et nos nati continuo desivimus esse. Considerabant nimirum et conferebant vitam suam præteritam cum æternâ sua damnatione, et respectu illius modicum, imo nihil

videbatur eis totum id quod vixerunt spatium. Quis ergo non libenter sufferat modicam tribulationem, ut evadat æternam damnationem.

Punit Deus in hac vita, et quasi uno digito; uti fatentur magi Pharaonis, Exod. VIII. dicentes: *Digitus Dei est hic* (Chaldæus vertit, *a facie Dei plaga hæc est.*) Ibi vero punit diabolus, et otia quidem manu totaque vi. Unde et damnat dicit quod olim Roboam subditis suis, III. Reg. XII. *Minimus digitus meus grossior est dorso patris mei. Et nunc pater meus posuit super vos jugum grave, ego autem addam super jugum vestrum. Pater meus cecidit vos flagellis, ego autem cædam vos scorpionibus.* Flagello cæditur homo ad emendationem, scorpionibus vero ad intercessionem, ut ss. martyres plurimi. Pater dæmonis Deus dici potest, quia creavit illum: cædit nos Deus hic flagellis, diabolus ibi scorpionibus. Quoniam igitur semel pro peccatis nostris puniri debemus, nonne malimus hic a Deo flagello, quam ibi a dæmone scorpionibus cædi? Nonne dicere debemus cum Davide: *Virga tua et baculus tuus, ipsa me consolata sunt?* Et rursum: *Ego autem in flagella paratus sum?* Et cum S. Augustino: *Hic ure, hic seca, ut in æternum parcas?*

VI. Si præsentem tribulationem appendamus cum æterna gloria, quæ patientibus promissa est, dicemus illam esse modicam, et cum apostolo ad Roman. VIII. *Non sunt condignæ passionnes hujus temporis ad futuram gloriam.* Modicum tribulationis discipulorum erat quadraginta horarum, tempus videlicet passionis et mortis Christi: tempus vero gaudii subsequenti quadraginta dierum, scilicet a resurrectione usque ad ascensionem, quo tempore cum Christo iterum versabantur. Sic et tempus tribulationis præsentis modicum est, gaudii vero futuri interminabile. Ita testatur Dominus, Isa. LIV. *Ad punctum in modico dereliqui te, et in miserationibus magnis congregabo te.* Quis ergo non libenter sustineat modicum tribulationis pro æterno gaudio? Modicum damnum pro maximo emolumento? En tibi exemplum opportunum simulque lepidum. Nobilis quidam mihi notissimus, ait Chavassius, de perf. prudentia, l. III. cap. VI. cum die quodam iter faciens asellum obvium habuisset instructum prolongis auribus, famulo cuidam sui dixit: *Jam datur nobis oblectationis jucundæ occasio, gladium tuum exere, et eleganti huic aviculæ alam unam præcidito.* Dictum factum, videns autem bruti dominum ægre id ferentem, dixit: *Boni consulas, rogo, quod me actu isto recreaverim, en tibi satisfactionis loco coronatum.* Placuit rustico satisfaciendi modus et genus, adhibitoque uxoris consilio et psequenti ad arcem venit asello comite,

nobilemque illum est obtestatus, ut *dignaretur pari pretio obtruncata miseri animalis auricula altera sese oblectare.* Risit tunc ille pactoque inito accinxit se ad mutilationem alteram. Cogitemus ergo et nos modicum esse auriculam esse seu rem non necessariam, quam tollit nobis Deus tribulationis gladio; et cum eam suo tempore tam largiter compensaturus sit, rogemus insuper, uti flagello suæ sæpius nos castigare velit, quo uberior sit corona nostra, quam nobis largiatur. Amen.

CONCIO VI.

SOLIDUM AC JUGE PIORUM GAUDIUM IN QUO
CONSISTAT.

I. Consistit in Deo. — II. In Christo Jesu. — III. In fide et christianismo. — IV. In bona conscientia. — V. In spe mercedis æternæ. — VI. In tribulationibus.

THEMA.

Iterum videbo vos, et gaudebit cor vestrum, et gaudium vestrum nemo tollet a vobis. Joan. XVI.

Si bene expendamus hodiernum evangelium, non video quomodo aliquando possimus esse tristes. Prædicat enim suis discipulis Dominus, ploruros quidem illos et tristitiam habituros in triduo passionis suæ. *Sed iterum,* inquit, *videbo vos, tibi videlicet resurrexero, et gaudebit cor vestrum, et gaudium vestrum nemo tollet a vobis.* Ergo voluit Dominus gaudium discipulorum post suam resurrectionem esse continuum et indeficiens. Quod vero illis dixit, nobis omnibus dixit. Hoc enim S. Paulus sæpius nobis inculcat, ad Philip. III. *De cætero* (gl. interponit *deinceps*) *fratres mei gaudete in Domino:* et c. IV. seq. *Gaudete in Domino semper, iterum dico: Gaudete:* et I. Thess. V. *Semper gaudete.* Sed objiciet mihi aliquis, quod senior ille cæcus Tobias objecit angelo Raphaeli. Hic enim cum ad eum ingressus dixisset: *Gaudium tibi sit semper,* respondit: *Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo, et lumen cæli non video?* Tob. V. Dicit enim aliquis: Quomodo hoc tam calamitoso sæculo possumus gaudere, qui nihil uspiam cernimus, quod nos recreare queat? Videmus undique calamitatem et afflictionem; quomodo ergo gaudere possumus? Verum gaudium nostrum non repositum in his infimis et inanibus bonis: sublimi, est et transcendit omnia mundi bona: ita ut gaudere possimus, licet omnia in mundo sursum deorsum eant. Id quod hic videbimus.

I. Consistit, primo et potissimum, in Deo. Qua de re, I. Reg. II. audimus Annam canentem: *Exultavit cor meum in Domino:* et Deipa-

ram, Luc. 1. *Exultavit spiritus meus in Deo salutari meo.* Multis autem modis gaudere in Deo possumus. Primo, ob ejus infinitatem, qua omnia bona eminenter in se continet, estque pulcherrimus, ditissimus, sapientissimus, potentissimus, sanctissimus, etc. præ omnibus quæ sunt et esse possunt. Quis enim non maxime gauderet, si patrem haberet potentissimum, sapientissimum, beatissimum? Quantum ergo debemus gaudere, cum cogitamus patrem nos habere cœlestem, qui omnibus bonis affluit et circumfluit? Qui si pater noster est, ergo omnia quæ habet, nostra sunt. Sic enim ait pater filii prodigi ad seniore filium: *Omnia mea tua sunt*, Luc. XV. Ad hæc, quod caput est, nemo nobis Deum auferre potest invitis. Querebatur Magdalena: *Tulerunt Dominum meum, et nescio ubi posuerunt eum.* Sed frustra angeris Magdalena; nemo tibi, nemo nobis auferre Dominum potest, nisi eum traderimus.

Secundo, ob ejus omniscientiam et præsentiam in omnibus locis, cum cogitamus eum omni loco posse a nobis inveniri, semper et ubique audire miserias nostras. Quomodo non recreentur afflicti, si in omni sua afflictione cogitent adesse sibi patrem, protectorem, medicum suum? *Domine, si fuisses hic*, dicebat Martha et Magdalena, *frater meus non fuisset mortuus.* Atqui scimus nos Deum nobis adesse semper inseparabiliter. Ergo non patietur nos tentari supra id quod possumus: ergo injurias, quas patimur, suo tempore ulciscetur: ergo laborantibus et patientibus in tempore succurret, etc. Tertio, ob ejus justitiam inviolabilem, cum cogitamus eum nemini prorsus injuriam facturum, nec ab ullo depravari, aut nos apud ipsum falsis delationibus diffamari posse. Multi etiam boni principes quandoque decepti, seu falsis denuntiationibus vita privarunt innocentes. Cujus rei exemplum non vulgare refert P. Raderus, in aula s. cap. XVI. de Theodosio juniore impe. qui Paulinum virum primum, quocum, in aula enutritus erat, sibi que charissimum, vana suspicione delusus, occidit. « Homo namque peregrinus fortunæque tenuis pomum Phrygium inusitata magnitudinis donum offert. Imperator cum proceribus mali generosi molem admiratus, centum quinquaginta aureos pauperi pro dono reposuit, munusque Eudoxiæ Augustæ misit; Eudoxia Paulino ægro tum a pedibus, quem propter excellentem cum eruditionem, tum virtutem egregie charum habebat, præsertim quod nuptiarum fuisset paranympus, et in ea re Augustam non parum juvisset. Sed eheu causa mali semper malum! Discordiæ pomum illud, non concordiæ fuit. Paulinus

ignarus pomum ab Augusto ad Augustam profectum, remittit Theodosio tamquam rarum et peregrinum generosissimi fructus miraculum, et signum officii sui in imperatorem. Imperator segnis rem interpretatus, agnovit illico pomum quod Eudoxiæ miserat, a Paulino donatum. Trahit factum in suspicionem adulterii, servari clam malum jubet. Accersitam Eudoxiam rogat, ubi pomum sit paulo ante a se missum? Eudoxia percussa verebatur, ne si Paulinum nominaret, imperator, alia suspicaretur, se edisse affirmat. Itane, inquit imperator, ex animi tui sententia comedisti? Comedi, inquit. Per salutem tuam, ait imperator, comedisti? Dejerat illa et per salutem, imo exitium suum. Profert inde pomum Theodosius, Paulinumque eadem nocte interfecit, ab Eudoxia abnoctat. Dejurium enim auxerat conceptam antea suspicionem. » Nemo talem catastrophem tamque noxium errorem formidare apud Deum debet. Omnia is per se novit, nulla suspicione ab æquo trahi potest.

II. In Christo Jesu, uti sexcentis annis ante ortum ejus dixit Habacuc, c. III. *Exultabo in Deo, Jesu meo.* Gaudere autem in Christo Jesu possumus ac debemus, quia in hoc nomine continetur negotium et œconomia totius nostræ salutis, quæ consistit in redemptione, justificatione, glorificatione. Per redemptionem liberati sumus a potestate diaboli, a peccato quæ est mors animæ, et a morte æterna seu inferno. Per justificationem constituimur ex inimicis Dei amici, ex filiis gehennæ filii et hæredes Dei ac cœlestis gloriæ, denique a morte excitati incipimus vivere vita, et spiritu Christi, sicut palmites in vite, ex qua vitam succum et fructum sumunt. Per glorificationem, quam expectamus, constituemur reges cœli, et ita ab omnibus vitæ hujus miseris absoluti et exuti replebimur omnibus bonis. Primum beneficium jam accepimus, secundo adhuc fruimur, tertium expectamus. Quis hæc cogitans, et vel solum Jesu nomen audiens non totis viribus gestiat et exultet? Quis tristetur? Quis desperet? Quis vitæ hujus calamitates, quis diabolum, quis mortem, quis gehennam ipsam metuat? Hoc enim nomen Jesu, dicit malorum omnium exterminium, et honorum omnium cumulum. Ergo in desolatione, in timore, in scrupulis et anxietatibus, in tentationibus et tribulationibus, Jesum cogitemus, Jesum invocemus, et gaudebit et recreabitur utique cor nostrum, ac dicemus cum Davide: *Memor fui Dei et delectatus sum.* Dices: Scio me redemptum, sed nescio an justificatus, nescio an glorificandus sim. Quæ hic gaudii materia? Respondeo in manu tua esse gratiam et gloriam. Nonne gaudet fur, quod de carcere

ereptus sit? Quod si diceretur furi: Si deprecis culpam, in patriam redibis, gratiam principis impetrabis, imo hæres ejus fies, quantopere gauderet? Nobis istud dicitur, et revera a Deo præstatur.

III. In fide et christianismo. Hoc gaudium prophetice describit Isaias, cap. LXI. dicens: *Gaudens gaudebo in Domino, et exultabit anima mea in Deo meo; quia induit me vestimentis salutis et indumento justitiæ circumdedit me, quasi sponsum decoratum corona, et quasi sponsam ornatam monilibus suis.* Quod nobis contigit in baptismo. Ibi loti sumus a peccatis, vestiti gratia sanctificante, hæredes regni facti, cœlo nobis aperto, monili characteris consignati, ut Ecclesiæ filii: unde huc alludens apostolus, ad Gal. III. ait: *Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis.* Non gauderemus multo maxime, si reges, aut reginæ crearemur? Christianum esse plus est. Audi Joannem, Apoc. 1. *Dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo, et fecit nos regnum, id est, reges:* (ut in multis Græcis codicibus legitur) nec qualescumque, sed cœli reges. Hinc Theodosius imp. magis se gaudere aiebat, quod esset Christianus, quam quod esset imperator. Et D. Ludovicus Francorum rex fundo Possiaco plurimum delectabatur, eoque frequenter ventitabat, quod ibi sacro renatus esset baptisate. Imo passim jactabat se plus eo loci accepisse dignitatis, et beneficii cum Christi diademate et oleo condecoratus esset, quam Rhemis cum rex inauguratus et inunctus, Nicol. Egidius et Franc. Belleforestius, in ejus vita. Nec immerito; regia enim dignitas munus est humanum, christianismus munus est divinum. Unde apostolus Paulus, cum Romam e Syria perductus prædicare ibi Christum cœpisset, et Judæorum adverteret incredulitatem, dixit: *Notum ergo sit vobis, quoniam gentibus missum est hoc salutare Dei, et ipsi audient.* Act. ult. Noluerunt illi ingredi in arcam Noe: nos ergo ad eam vocati. et per gratiam Dei ingressi sumus, quemadmodum tempore Noe, quia homines in eam ingredi noluerunt, inducta sunt animalia bruta. Quanto gaudio putatis circumfluxisse in diluvio Noem cum suis, quando se in tuto positum, cætores omnes inter undarum fluctus cum morte luctare vidit? Nos cum Noe in arca Ecclesiæ sumus, cæteri extra illam pereant necesse est.

IV. In bona conscientia, cum videlicet cor nostrum non reprehendit nos de mortifero peccato. *Lætamini in Domino*, ait Psalmista, Psal. XXXI. *et exultate justi, et gloriamini omnes recti corde:* et Christus, Luc. X. *Gaudete, inquit, quia nomina vestra scripta sunt in cælis.* Scripti autem in libro vitæ sunt saltem inchoate, qui sunt in

statu gratiæ. Hoc gaudium exoptabat David, cum dicebat: *Auditui meo dabis gaudium et lætitiā, et exultabunt ossa humiliata, cum videlicet intellexero dimissa mihi esse peccata. Non est oblectamentum super cordis gaudium*, ait Eccles. XXX. *Quid enim ditius*, inquit S. Bern. l. de considerat. *quid in corde dulcius, quid in terra quietius est, et securius bona conscientia?* Cæterum tunc demum bona erit, et secunda conscientia, quando post accuratam et frequentem vitæ nostræ discussionem nihil in nobis invenimus, quod divinæ legi repugnet, sed deprehendimus in lege Domini ambulare et delectari. S. Basilius, interrog. CXCIII. in reg. brev. quærit: « Cujusmodi est gaudium, quod est in Domino? Et quid est, quod facientes gaudere debeamus? In his, quæ secundum mandatum Domini fiunt, gaudere, est in Domino gaudere. Quocirca quancumque mandata Dei exequimur, aut propter nomen Domini aliquid patimur, gaudere et gratulari inter nos debemus. » Habet bona conscientia in se fontem omnis lætitiæ Deum. Unde: « Sicut in immensum mare decidens scintilla brevi facile extinguitur, sic quancumque Deum timenti illidantur, velut in vastum lætitiæ pelagus incidentia extinguuntur atque perduntur, » ait S. Chrysost. hom. XVIII. ad pop. Verissimum ergo illud Eccl. 1. *Timor Domini delectabit cor, et dabit lætitiā et gaudium.*

V. In spe mercedis et felicitatis æternæ. Ita docet Dominus, Matth. V. *Gaudete et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis.* Et apostolus ad Rom. XII. vult nos esse spe gaudentes. Etenim, ut inquit Philo: *Spes gaudium est ante gaudium.* Ergo si vixerimus, sicut decet Christianus, semper gaudere possumus, quia spem moraliter certam habemus futuræ retributionis. Hinc B. Apollonius abbas volebat ut in suo cœnobio quisquam tristis esset, dicebat enim: *Non oportet nos esse tristes, quibus salus in Deo est, et spes in regno cœlorum. Tristentur gentiles, lugentur Judæi, plangent sine cessatione peccatores: nos vero qui tantæ gloriæ spem et æternitatis habemus promissionem, cur non omni exultatione lætemur?* Ruffinus et Pallad. in ejus vita. Hanc etiam ob causam S. Antonius semper erat lætus, ita ut ex vultus hilaritate e reliquis monachis, etiam ab ignaris statim agnosceretur, ut scribit de eo S. Athanasius, qui et causam addit: *Nam semper hilarem faciem gerens, ait liquido ostendebat se de cælestibus cogitare.* Afficiebatur autem adeo Antonius erga cœlestium rerum contemplationem, ut sæpe sol oriens eodem vestigio stantem, et in cœlum suspicientem aspexerit, quo eum occidens reliquerat, teste eodem Athanasio. Et vero pii omnes merito recreantur cum

vel cœlum aspiciunt. Sicut enim qui ex remotissima regione venit, utique valde gaudet, cum patriam ac domum de procul intuetur suam, licet adhuc naviget vel lutosa via aut in pluviis incedat: ita lætantur electi cœlestis patriæ aspectu, licet nondum ibi sint, et adhuc inter mundi hujus fluctus laborent.

Augere nostrum hoc gaudium debet, quod adhuc in via sumus, adeoque augere semper magis et magis mercedem nostram possumus. Quid enim darent damnati si in hanc redire vitam possent? Quid animæ purgantes? Ecce nunc tempus nundinarum: Nunc regnum Dei intra nos est. O quam gavisum existimamus fuisse Petrum illum telonarium, qui cum fuisset avarissimus, nec quidquam boni egisset, præterquam quod aliquando unum panem in faciem mendici indignans projecisset, in ægritudinem raptus et appensus in statera, cum unicus ille panis adæquaret lancem alteram peccatis ejus onustam, ideoque jubere ab angelis redire, et addere ad panem illum, nisi vellet rabi ab astantibus Mauris, seu dæmonibus? O quanto reversum gaudio putamus? Certo post liberalissimus factus omnia sua pauperibus et seipsum denique elargitus est, ut haberet in vita apud Metaphrasten. Imo etiam beati, qui jam fruuntur cœlo beatiore nos hac ex parte judicant, quod cum ipsi jam sint in termino, nos augere merita nostra in dies possimus. Legimus enim in vita S. Mechtildis virginis, eam aliquando audivisse sanctos sibi dicentes: «Eia quam felices vos estis, qui adhuc vivitis in terris, et quam multa promereri potestis: quia si homo sciret, quanta una etiam die promereri posset, mox ut e somno evigilaret, tanto gaudio cor ejus dilataretur, pro eo quod dies illa illuxisset, in quo Deo vivere, et ex Dei gratia suum meritum ad Dei laudem augere posset, quod tota die ad omnia quæ agere aut pati deberet, alacrior et fortior redderetur.» Refert Blossius, l. IV. spirit. vitæ, c. IV.

VI. In tribulationibus æquo animo acceptis, uti monet S. Jacobus, c. 1. *Omne gaudium existimate fratres mei, cum in tentationes varias incideritis.* Triplicem hujus rei causam indicat nobis Sara Raguelis filia in sua precatione, Tob. III. cum ait: *Hoc pro certo habet omnis, qui te colit, quod vita ejus si in probatione fuerit coronabitur, si autem in tribulatione fuerit liberabitur, et si in correptione (sic enim rectius legitur) fuerit, ad misericordiam tuam venire licebit.*

Primo ergo, intelligit se in tentatione probari, et tunc: *Cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se, ut ait S. Jacobus, c. 1. epistolæ suæ.* Ergo sicut non dolent, sed gaudent potius, qui spe magni lucr

laborem aliquem subeunt, ita pii quoque quia ex adversis magnam sibi coronam sperant, Gauderet sane lapis, si sensum haberet, quod scalpello poliatur, fiatque statua regis elegans; lignum quod dolabra lævigetur, fiatque thronus pontificis; pannus quod lixivio purgetur a sordibus, etc. idem facit tribulatio justo, cur ergo is non gaudeat?

Secundo, intelligit se tribulari seu exagitari flagellis et molestiis, et tunc liberabitur a periculis, et variis peccandi occasionibus, quas ei bona valetudo, rerum affluentia, et secunda quies offert, quo modo mediis tribulis purgatur a paleis triticum. Sicut enim sal conservat carnes a putredine, ita tribulatio corpus et animam a concupiscentia et peccato.

Tertio, intelligit se corripit, ut peccatorum, in quæ impeggerat, maculis pennisque detritis, misericordiam consequatur, qua in hoc potius, quam altero puniatur sæculo. Non enim punit Deus bis in idipsum. Hinc viri oculati non tolli sibi tribulationes, sed augeri peroptarunt, ut Pius V. pontifex, qui acerbis calculi doloribus afflictus dicebat: *Domine, auge dolorem, auge et patientiam:* S. Theresia quæ orabat: *Da aut pati aut mori. Vitam enim meam aliud esse nolo, quam te amare, pro te laborare, pro te pati:* S. Xaverius qui precatus est: *Domine, ne hanc crucem mihi auferas, nisi majorem immittas.* Maluerunt enim hic uri quam ibi. Sed dices tribulationem esse plagam communem tam reprobis quam bonis, tam infidelibus quam fidelibus; unde igitur materiam gaudii præbere queat bonis? Resp. bonis eam prodesse, non malis; sicut solis lux bonum est commune et salutare, sed laborantibus et ea bene utentibus: non prodest cæcis, nec dormientibus, nec otiantibus, etc. sic tribulatio bonum est quidem commune, sed non prodest cæcis, id est, infidelibus et hæreticis, nec peccatoribus tametsi fidelibus, nec impatientibus et murmurantibus, etc. Prodest autem fidelibus, pœnitentibus et patientibus.

Ergo si hic tempus habuerimus nubilum, ibi habebimus serenum: si præcesserit modicum tribulationis, subsequetur æternum consolationis. Ideo subdit Sara: *Non enim delectaris in perditionibus nostris, quia post tempestatem tranquillum facis, et post lacrymationem et fletum exultationem infundis. Sit nomen tuum Deus Israel benedictum in sæcula.*

CONCIO VII.

NON ESSE VANÆ LETANDUM IN MUNDO, SED FLORANDUM POTIUS.

I. Jubent debita nostra. — II. Obstaculæ salutis. — III. Incertitudo salutis. — IV. Vallis lacrymarum

ista. — V. Præsentia Dei inspectoris. — VI. Mors, judicium et infernus. — VII. Gloria non sine fletu obtinenda.

THEMA.

Amen, amen dico vobis, quia plorabitis et flebitis vos: mundus autem gaudebit. Joan. XVI.

Duos sibi plurimum adversatos fuisse in moribus philosophos narrat antiquitas: Democritum videlicet et Heraclitum: Quorum prior, ubique locorum esset, ridere hominesque deludere solebat, adjungens: *Cupiditatem diu vivendi hominum meram esse stultitiam.* E contra Heraclitum philosophum semper flevisse, compatientem hominum miseriis; Laert. l. V. cap. II. Certant eadem de re inter se Babyloii et Jerosolyma. Illius enim incolæ lætandum esse asserunt, cantandum, saltandum, ludendum, epulandum. Unde invitant homines ad lætitiā, Sap. II. *Venite et fruamur bonis, quæ sunt, et utamur creatura tamquam in juventute celeriter. Vino pretioso et unguentis nos impleamus, et non prætereant nos flos temporis. Coronemus nos rosis antequam marcescant, nullum pratum sit quod non pertranseat luxuria nostra. Nemo vestrum exors sit luxuriæ nostræ: ubique relinquamus signa lætitiæ, etc.* Hujus verò incolæ contrarium docent, flendum potius et dolendum esse in mundo asserunt, et ad hoc etiam nos invitant Psalm. LXCIV. *Venite adoremus et procidamus ante Deum, ploremus coram Domino, qui fecit nos: Atque hoc ipsum est, quod hodie audimus in evangelio: Mundus autem gaudebit, vos vero (discipuli et servi Christi) contristabimini, quid igitur faciemus auditores? Ad quam partem ibimus? Ego sane, si cætera omnia esse paria, etiam Democrito; Babylone et mundo non difficile sentirem. Quis enim neget suavius esse gaudere quam tritari? Ridere quam plorare? Sed terreor vehementer; quia multa video, quæ lætari me non sinunt, sed potius ad fletum trahunt. Audio enim imprimis sapientissimum illum Salomonem, testem expertum et omni exceptione majorem, dicentem Ecclesiastes II. *Dixi ergo in corde meo: Vadam et affluam deliciis et fruam bonis. Et vidi quod hoc quoque esset vanitas. Risum reputavi errorem, et gaudium dixi: Quare frustra deciperis? et infra, cap. VII. Melius est ire ad domum luctus, quam ad domum convivii; et rursum ibidem: Cor sapientum ubi tristitia est, et cor stultorum ubi lætitia.* Audio deinde sapientiore et meliorem Salomone, Christum, qui Luc. VI. ait: *Beati, qui nunc fletis, quia ridebitis: et paulo post subjunxit: Væ vobis qui ridetis nunc, quia lugebitis et flebitis.* Quam doctrinam suam operè implevit, quod non fecit Salomon; quia ut S. Chrysostomus, hom. VI. in Matth. ait: *Fletem Christum frequenter invenies, nun-**

quam vero ridentem. Qua in re non docuit Christus gaudium et risum honestum æris Dei illicitum esse; sed tantum non licere Christianis, dare se et vacare ineptæ et vanæ lætitiæ, qua obliviscamur nos esse in valle lacrymarum. Quoniam vero hanc doctrinam difficillime credit mundus, afferam in medium aliquot argumenta, quæ clare eam ostendunt.

Merito Sapiens ait, Eccl. XXII. *Musica in luctu importuna narratio.* Quemadmodum enim fidentes in luctuosa domo canere incipientes statim increpantur et jubentur facessere; ita qui in hoc mundo inepte vult gaudere, objurgatur a quam plurimis. Quis enim est, quæso, qui cantantem, ridentem et gaudentem hominem hic non arguat? Tacere non jubeat?

I. Jubent debita nostra, peccata scilicet præterita eorumque pœnæ adhuc luendæ: quæ sæpe plurima et ingentia sunt. Experimur autem nos cum magnis debitis premimur, vix dormire posse, diu noctique angere, aliquo propterea sibi ipsis necem inferre; ut mirum sit, si magnus debitor lætus esse possit, ad instar illius equitis Romani, qui cum ingentem pecuniarum summam deberet, id tamen semper reticuit dum viveret. Eo igitur defuncto, cum debitorum enormitas patesceret, et res illius auctioni subicerentur, ut creditoribus satisficeret, miratus Augustus Cæsar hominem illum tam obæratum vivere quiete potuisse, ex bonis illius culetram bicubitalem emi sibi præcepit. Mirantibus aliis: *Habenda est, inquit, ad somnum mihi conciliandum culcitra illa, in qua ille tanto ære alieno obstrictus somnum capere potuit.* Refert Macrob. l. II. Saturn. c. IV. Non injuria hoc idem dixerit quis de iis qui debita debitis addendo quotidie peccant, et interim de satisfactione ac pœnitentia nihil solliciti sunt.

Hoc in se deplorat David, Ps. XXXVII. *Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, et sicut onus grave gravatæ sunt super me: et mox: Miser factus sum usque in finem, tota die contristatus ingrediebar.* Dic enim mihi, si scires tibi saltem per unum diem, imo per unam horam manendum esse in purgatorio, an tu non mallets hic per triginta annos vivere in austero ordine? Quid enim non promittunt tibi, qui ultimo supplicio adjudicati sunt? In acie exercitus se dimicatueros et hostem primo aggressuros, in trimibus se remos tractatueros pollicentur, modo dimittantur. Et non merito timemus, ne diutius in purgatorio aliquando detineamur? Et adhuc ridemus?

II. Obstaculæ salutis nostræ plurima: tentationes et tentatores, caro, mundus, dæmon. Doleat mercator videns nundinarum tempus accelerare et se cum navi semper hæere in salo.